

ab agnita veritate vel sollicitantur, vel etiam inducuntur, quam illo, quod a religionis Lutheranae novitate, Romano-Catholicae autem antiquitate, perpetuoque splendore, & non interrupta doctorum successione petitum est.

§. III. Etsi proinde ad hæc ipsa dudum, & opera data responsum a Nostris fuit, utpote *D. Balduino*, in disputatione de Vera Christi Ecclesia ante tempora Lutheri, *Heilbrunnero*, in *uncathol. Pabstthum*, Art. XV. c. 7. *Vittembergen-sibus in Respons. über die Religions-Scrupel* T. I. Consil. f. 194. *Theod. Thummio* in *Luthero* *Ἐαυματῆργω* c. XV. *Andr. Keslero*, in *Lutherthum* p. 258. *B. August. Pfeiffero* & *Jo. Jac. Beckio* in *Lutherthum vor Luthern*, p. 150. seq. imprimisque *Dn. D. Fechtio*, quem Deus in solatium Ecclesiae suae servet! in *Histor. Colloqu. Emmending.* p. 220. tamen quia, secundum illud tritum, nunquam satis dicitur, quod nunquam satis discitur; satisfacturi desiderio illius, qui Respondentis sibi partes hac in dissertatione sumpsit, *de perpetuitate Ecclesiae Lutheranae*, sic disputabimus, ut eandem ab impacta novitatis macula liberemus.

§. IV. Relictis autem omnibus, quid nomine *Ecclesiae* intellectum velimus, expediendum est. Augustana Confessio *Art. VII.* definit, quod sit *congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur sacramenta.* Qua quidem definitione coetus & *Vocatorum, & Electorum* includitur. *Sancti* enim homines dici possunt duplici modo. Primo propter *externam vocationem*, per quam a reliqua perditorum hominum multitudine sunt distincti, quo sensu *Vocati omnes sancti* appellantur *Rom. I, 7. Phil. IV, 21. 22.* Deinceps ob *internam regenerationem, & spiritualem ad Deum conversionem*, per quam a peccati tum reatu, tum dominio, liberantur, *1. Cor. VI, 11. 2. Cor. VII, 1.* Prioris